

CHARTRES DU PRIEURÉ DE S^T. HIMER

DONT IL EST PARLÉ AU PROCÈS.

CHARTRE D'HUGUES I. COMTE DE MONTFORT,

vers 1066.

IN NOMINE PATRIS, ET FILII, ET SPIRITUS SANCTI; Amen. Summâ cautelâ obſervatum eſt ab antiquis ea omnia litteris mandare quæ ignorata aliquam quandoque poſſent aliquando generare controverſiam. Igitur Ego Hugo de Monteforti notum eſſe volo cunctis ſanctæ Matris Eccleſiæ fidelibus, tam præſentibus quam futuris, quod idem Beneficium quod Giſlebertus tenuit de me quando erat Eques, ſanctæ Mariæ, & ſancto Ymerio contuli, & Radulpho Abbati concedo, & totam decimam omnium reddituum terræ meæ, ac de cunctis ſylvis meis decimam; Hoc eſt de Feris, de Volatilibus, de venditione nemorum, de Eſſartis, de Melle, de Paſnagio, atque de cunctis conſuetudinibus ſylvarum, & de omnibus Molendinis meis decimam; & de Piſcariis, & de Vivariis, & de cunctis pecuniis & de caſeis. Nec non etiam quodcunque in eâdem Villâ habuit Giſlebertus; exceptâ medietate cujuſdam molendini. Et præterea medietatem vineæ meæ, atque tres Ruſticos. Quandam partem de ſylvâ ſancti Ymerii. Et in Anglicâ terrâ adhuc do Eccleſiam de Bradeborna, & de Tilſentona, & de Brige, cum terris, & decimis ad eas pertinentibus, & de pecuniis meis, & de caſeis de Angliâ ſimiliter decimam, & de piſcibus Héé, & unam domum apud Héam; Pro abolitione delictorum meorum, ac vitæ æternæ merito, & pro animâ Patris mei Hugonis, & Matris meæ, & uxoris meæ, & pro animabus fratrum meorum Radulphi, ac Roberti, atque filiorum. Cum auctoritate Domini noſtri Willelmi Northmannorum Principis. Et ſi quis ab hodiernâ die in poſterum inſurrexerit modo quolibet, quod abſit, calumniando, & Beatæ Mariæ, atque prædicto ſancto ſubripere voluerit, cum Dathan, & Abiron, & Symone mago, atque impiiſſimo Juda traditore procul dubio æternæ maledictioni ſubjaceat. Amen, fiat, fiat. Ego Maurlius Dei gratiâ Rothomagenſis Archiepiſcopus cum Epiſcopis meis hoc anathema confirmo.

Signum ✠ Willelmi Principis Northmannorum.
Signum ✠ Hugonis Epiſcopi Lexovienſis.
Signum ✠ Hugonis de Monteforti.

Signum ✠ Rogerii de Bello-Monte.
Signum ✠ Hugonis de Grente-Maisnil.
Signum ✠ Roberti Bertranni.

Collationné par les Conseillers du Roi, Notaires à Paris, soussignés sur l'Original en parchemin, représenté par Messire Henry Emmanuel François-Raymond de Roquette, Prieur-Commendataire de Saint Himer en Auge, à ce present & à lui rendu. A Paris ès Etudes l'an mil sept cent soixante-un, le trente un Mars, & a signé,

H. E. F. R. DE ROQUETTE, Prieur-Commendataire de Saint Himer.

Signés, HAZON, & DELANGLARD, avec paraphes.

CHARTRE D'HUGUES II. Comte de Montfort.

vers 1147.

NOtum sit omnibus sanctæ Ecclesiæ fidelibus tam præsentibus, quam futuris : Quod ego Hugo de Monteforti filius Gisleberti de Gant, concessione Gaufridi Normannorum Ducis, & filii ejus Henrici, Consilioque Hugonis Rothomagensis Archiepiscopi, & Episcoporum Normanniæ, Arnulphi Lexoviensis, & Rotrodi Ebroicensis, & Philippi Bajocensis; Haelinâ uxore meâ, & filiis meis Roberto, & Valerano concedentibus, Baronibusque meis præsentibus, do Ecclesiæ sanctæ Mariæ Becci, Monachisque ibi Deo servientibus Ecclesiam sancti Ymerii in perpetuam Eleemosinam liberam, & quietam ab omni consuetudine, cum præbendis, & omnibus ad eam pertinentibus ut Monachi in eâ loco Canonicorum constituantur; & insuper Deo, & sancto Ymerio do quandam partem sylvæ meæ quæ Nemus Heroldi, & Vallis Corvi dicitur usque ad majorem viam vallis per quam a domo Ricardi Hache ad sanctum Ymerium descenditur, & medietatem meam de quodam virgulto vineæ, & quandam aliam partem quam Haelina uxor mea tenebat circa eum similiter sancto Ymerio dat, atque aliud virgultum de quo Thomas medietatem tenebat quam ipse sancto Ymerio præbuit. Et cum istis de omnibus salinis meis, & de foro Vallis Ancré décimam do. Et præter hæc Haelina uxor mea apud Pontem Episcopi quandam domum quam Godefridus Espihart tenuit cum consuetudinibus suis, & quoddam virgultum quod Ricardus Poréé in Perrefitâ tenuit, sancto Ymerio concessione meâ dedit, & præter ista terram quam Robertus filius Efrede tenuit, & terram quam Turgottus Præsbyter circa eam de me habuit Sancto Ymerio do. Simul & concedo ut omnia quæ ista Ecclesia tempore Hugonis avi mei habuit in perpetuum teneat, habuit enim de omnibus sylvis quas prædictus Hugo in Normanniâ tenebat decimas. Hoc est de feris, de volatilibus, de venditione nemorum, de essartis, & de melle, de pasnagio, atque de cunctis consuetudinibus sylvarum, & de omnibus molendinis, atque caseis, cunctisque pecuniis, & foris, & de omnibus redditibus terræ meæ. Et in Anglicâ terrâ similiter de caseis, & universis pecuniis, & de piscibus Hee, & unam domum in eâdem

villâ. Et de Bratheburna, & Tiltetona, & Esbruge decimas do de annonis similiter.

✠ Signum Hugonis de Monteforti.
✠ Signum Roberti de Monteforti.
✠ Signum Valerani de Monteforti.
✠ Signum Heliæ de Baillolio.
✠ Signum Roberti de Magnavilla.
✠ Signum Willelmi sancti Leodegarii.
✠ Signum Galteri Pipart.
✠ Signum Roberti Pipart.
✠ Signum Rogerii de Burgevilla.
✠ Signum Jordanis de Sulleio.
✠ Signum Philippi de Bevredan.
✠ Signum Hugonis de Bevredan.

Collationné sur l'Original en parchemin, représenté & à l'instant rendu, ce requérant Monsieur l'Abbé de Roquette, Prieur-Commendataire du Prieuré de saint Himer, par les Conseillers du Roi, Notaires à Rouen, soussignés. Ce douze Février mil sept cent soixante-deux.

H. E. F. R. DE ROQUETTE, Prieur-Commendataire de Saint Himer.

Signés, VASSÉ, & RICQUIER, avec paraphes.

Contrôlé à Rouen ce 13 Février 1762, reçu 6 sols 3 den. Signé, FOUCHER, avec paraphe.

CHARTRE D'ARNOULPH, Evêque de Lizieux.

année 1147.

ARNULFUS, Dei gratiâ Lexoviensis Episcopus. Fulconi Decano, totique Capitulo Lexoviensi, omnibusque fidelibus per Lexoviensem Episcopatum constitutis salutem, & Dei benedictionem. Notum esse volumus tam præsentibus, quam futuris, quod ego Arnulphus Deo permittente Lexoviensis Episcopus donavi Ecclesiam Sancti Ymerii cum præbendis, & omnibus pertinentiis earum Venerabili Letardo Abbati Beccensi, fratribusque ibidem sub monasticâ professione degentibus, ut scilicet inibi pro Canonicis Monachi substituantur, atque in ordine Monastico quem etiam ibi ante constitutionem Canonicorum accepimus extitisse, ibidem in perpetuum Domino serviatur. Ad hoc enim summum studium nos convenit adhibere, ut Religionem non solum in locis in quibus fuerat, sed etiam in quibus nondum extitit, totâ diligentiâ reformemus. Quam etiam donationem nostram Hugo de Monteforti, & Robertus filius ejus, & Adelina uxor ejus magno desiderio quantum eorum intererat concessere, nosque ad id faciendum magnis studuerunt precibus inclinare. Sed quia Lexoviensem Ecclesiam ab omni detrimento studiosius nos convenit observare, Præbendam nostram quæ in eâdem Parochiâ est, integram nobis in perpetuum cum omni jure, & pertinentiis suis manere censemus; salvâ nimirum nobis, & omnibus successoribus nostris integrè in omnibus Episcopali justitiâ, &

reverentiâ, & Præsbytero qui curam plebis habiturus est Parochiali jure, scilicet tertiâ decimationum parte in universis oblationibus, cæterisque beneficiis ad id pertinentibus. Ne vero hoc quod à nobis tam piè actum est ullâ possit in posterum oblivione, vel malignitate convelli, Litteris mandari, sigillique nostri fecimus impressione signari. Actum apud Novum-Burgum anno ab Incarnatione Domini M. C. XLVII. Præsentibus Rotrodo Ebroïcensi Episcopo, & Ecclesiæ nostræ filiis Johanne Archidiacono, Normanno Archidiacono, Sylvestro Thesaurario, Roberto de sanctâ Honorinâ Capicerio, Roberto de Novo-Burgo, Gisleberto de Bisgat, Rodulfo Rustico, Willelmo Portario, Bernardo de Sartrino, Willelmo filio Odonis Laïcis; & Guarino, Rodulfo, De Flori, Turgiso, canonicis Lexoviensibus.

Collationné par les Conseillers du Roi, Notaires à Paris, soussignés sur l'Original representé par Messire Henri-Emmanuel François-Raymond de Roquette, Prieur-Commendataire de saint Himer en Auge, à ce present & à lui rendu. A Paris ès Etudes l'an mil sept cent soixante-un, le trente-un Mars, & a signé,

H. E. F. R. DE ROQUETTE, Prieur-Commendataire de saint Himer.

Signés, HAZON, & DELANGLARD, avec paraphes.

CHARTRE DE GODEFROI, Duc de Normandie,

Qui confirme la Donation de l'Eglise de saint Himer aux Moines du Bec. vers 1147.

GODEFRIDUS, Dux Normannorum, & Comes Andegavensium, Hugoni Dei gratiâ Archiepiscopo Rothomagensi, Episcopis, Baronibus totius Normanniæ salutem. Sciatis me concessisse, & Sigilli mei attestatione confirmasse Ecclesiam sancti Ymerii, & omnes facultates præfatæ Ecclesiæ pertinentes pro ut datur, & conceditur ab Ernulpho Episcopo Lexoviensi in Domini exercitûs auxilium Jerusalem profecto, videlicet Monacis sanctæ Mariæ de Becco usque in perpetuum. Teste Roberto de Novo-Burgo. Apud Salm̃.

Collationné conforme sur l'Original en parchemin étant au Chartrier du Bec, representé par le Réverend Pere Prieur, remis à l'instant, ce requérant Monsieur l'Abbé de Roquette, Prieur-Commendataire du Prieuré de saint Himer, par nous Notaire Royal Apostolique du Doyenné du Bourgtheroulde. Ce trente Octobre mil sept cent soixante-un.

Signé, Fr. P. F. BOUDIER, Prieur.

H. E. F. R. DE ROQUETTE, Prieur-Commendataire de saint Himer.

Signé, TRAGIN, avec paraphe.

Contrôlé à Brionne le 13 Octobre 1761, reçu 6 sols 3 den. Signé, PIROT, avec paraphe.

CHARTRE DE ROBERT I. Comte de Montfort.

vers 1160.

SCiant præsentes, & futuri quod ego Robertus de Monteforti iturus Jerusalem, veni Beccum, & ibi in præsentiâ Rogerii Abbatis, & totiûs ejusdem Ecclesiæ conventûs concessi, & hâc præsenti Cartâ

cartâ confirmavi Deo, & sanctæ Mariæ Becci, sancto Ymerio, & Monachis ibi Deo servientibus, in liberam, & perpetuam Eleemosinam omnes donationes, & Eleemosinas quas antecessores mei eisdem Ecclesiis pro salute animarum suarum donaverunt, ita liberè, integrè, plenariè, sicut aliqua Eleemosina liberius donari potest. Præthereà ex propriâ largitione meâ donavi prædictis Monachis integrè totam terram meam de Montibus, quæ est suprà domum Hugonis de Peisson, exceptâ terrâ illâ quæ jam tradita fuit Britonibus, totamque aquam Iveæ in Tolcham; Viridarium quoque quod fecit Willelmus Præsbyter in terrâ meâ, & decimam novi molendini. Clamavi etiam eis quietos decem solidos quos mihi annuatim debebant pro censu virgulti de vineâ; Terram etiam, & redditum quem Robertus Mauviel prædictis Monachis donavit; donum etiam quod fecit Helias de Baillolio Monachis sancti Ymerii, scilicet Terram ad Tortam-Quercum, & unam salinam apud Tolcham, duas summas salis annuatim reddentem. Hæc autem omnia, & alia quæ in Feodo meo donatione, vel emptione adepti sunt, cum omnibus liberis consuetudinibus in puram & liberam Eleemosinam pro salute meâ, nec non, & puerorum, & hæredum meorum sigilli mei impressione illis confirmo. Teste Hugone Capellano Domini Bardul, Gaufrido de Asneriis, Matthæo de Bosnebos, Ricardo nepote ejus, & Ricardo Carpentario, Rogerio Crasso, Henrico filio Roberti.

Cet Acte est tiré de l'Ancien Cartulaire du Bec, folio 52. n. XVI. Titulo : Comitum de Montefortis

AUTRE CHARTRE DE ROBERT I. Comte de Montfort.

vers l'an 1160.

SCiant præsentes, & futuri, quod ego Robertus de Monteforti donavi Deo, & sanctæ Mariæ Becci, sanctoque Ymerio, & Monachis meis apud Sanctum Ymerium Deo Servientibus, & Servituris in liberam, & perpetuam eleemosinam Ecclesiam de Watertot cum pertinentiis suis, quam Hugo pater meus sicut à veridicis didici eidem Ecclesiæ donaverat, & capellam Sancti Nicholai cum omnibus pertinentiis suis quæ constructa est in Castello de MonteForti. Præthereà donationes quas idem Hugo pater meus dedit prædictæ Ecclesiæ Sancti Ymerii, Scilicet, integrè Boscum Heroldi cum pertinentiis suis; Et cum his donis concedo eis, & confirmo omnes donationes, & eleemosinas quas prædictus Hugo Pater meus, vel alii prædecessores mei eidem Ecclesiæ pro Salute suâ contulerunt : Videlicet Deciman omnium reddituum meorum in Normanniâ, de omnibus Molendinis meis decimas, & de Piscariis, & de Vivariis Similiter, & de omnibus Forestis meis quæ sunt in Normanniâ decimas, & de Warennis. Scilicet de venditione, de Pasnagio, de Pasturagio, de Melle, de Volatilibus, de Feris, & de Essartis, & de omnibus consuetu-

dinibus Sylvarum. Hæc omnia eis concedo ; & Sigilli mei impreſſione confirmo integrè, & plenarié, ita liberè, & quietè Sicut aliqua Eleèmoſina liberius, aut melius donari poteſt. Iſti ſunt Teſtes. Rogerius Prior de Conflans, Valdericus Secretarius, Gaufridus de Aſneriis, Mattheus, & Ricardus de Bonneboz, Ricardus Carpentarius, Rogerius Craſſus, Henricus filius Roberti.

Collationné par les Conſeillers du Roi, Notaires au Châtelet de Paris, ſouſſignés ſur l'Original repreſenté par Meſſire Henri Emmanuel François-Raimond de Roquette, Prieur-Commendataire de ſaint Hymer en Auge, à ce preſent, auquel Original eſt un Sceau, & à lui à l'inſtant rendu. A Paris ès Etudes le huit Avril, l'an mil ſept cent ſoixante-un.

H. E. F. R. DE ROQUETTE, Prieur-Commandataire de ſaint Himer.

Signés, LE NOIR, & DELANDGLARD, avec paraphes.

CHARTRE D'HUGUES III. Comte de Montfort.

1194.

SCiant præſentes, & futuri, quod ego Hugo de Monteforti pro Salute animæ meæ, & Patris mei, & Matris meæ, & Roberti fratris mei, & omnium anteceſſorum meorum ; dono, concedo, & hâc præſenti Cartâ meâ confirmo in liberam, & perpetuam Eleemoſinam Deo, & ſanctæ Mariæ Becci, & ſancto Ymerio, & Monachis ibidem ſervientibus, & ſervituris, Eccleſiam ſancti Ymerii cum Capellâ, & Patronatu, & decimis, univerſiſque aliis ejuſdem Eccleſiæ pertinentiis, in proprios uſus in perpetuum habendam liberè, quietè, & integrè, quam Robertus de Monteforti Pater meus iniquo circumventus conſilio eiſdem Monachis abſtulerat. Ita quod jam dicti Monachi pro voluntate ſuâ Præsbyterum in eâdem inſtituant. Præterea quinquaginta ſolidos Andegavenſium quos Domina Clementia Mater mea Annuatim de Præpoſiturâ de Orbec recipiendos ad luminare Eccleſiæ ſancti Ymerii donavit. Videlicet ad Natale Domini XXV. Solidos, & ad Nativitatem Sancti Johannis Baptiſtæ XXV. ſolidos. Nemus quoque quod Hugo Peiſſon ſæpè dictis Monachis vendidit juxtà virgultum ipſorum. Teloneum etiam Hominum ipſorum in perpetuum recipiendum, & habendum ipſis concedo ; univerſaſque alias donationes, & Eleemoſinas quas ipſi Monachi ſancti Ymerii ſive donatione, vel emptione in Feodo meo adepti ſunt quatenùs eas liberè, & quietè, integrè, & pacificè cum omnibus libertatibus, & liberis conſuetudinibus hujus Cartæ meæ patrocinio protecti, & in perpetuum poſſideant. Pro hâc autem donatione, & conceſſione recepi de Caritate Eccleſiæ ſancti Ymerii XX. libras Andegavenſes per manum Roberti de Cadomo tunc Prioris ejuſdem Eccleſiæ. Acta ſunt hæc Incarnationis Dominicæ Anno M. C. XCIV. Anno ſcilicet quo Ricardus Rex Angliæ de Alemanniâ reverſus eſt, Coram iis teſtibus. Almarico de Spineto, Gaufrido de Bettevilla, & Ricardo fratre ejus, Rogerio de Candos, Roberto de Vivra, Ricardo filio Landerici, Gilberto de Caablo, Hugone Madido, Roberto de Vallè, Petro Rege, Hugone

de Parco, Radulpho Senescallo, Rogerio Ebroicensi, Gillermo de Longolio, Anschitillo Basso, Hugone Parvo, Ricardo de Putot, Roberto de Camba, Joanne Ostiario.

Collationné par les Conseillers-Notaires du Roi au Châtelet de Paris, soussignés sur l'Original en parchemin, muni d'un lacs de soie sans sceau, representé & rendu ce vingt-trois Novembre mil sept soixante un, par Messire Henri-Emmanuel--François-Raymond de Roquette, Prieur de saint Himer, lequel a signé cesdites Presentes avec lesdits Notaires.

H. E. F. R. DE ROQUETTE, Prieur-Commendataire de Saint Himer.

Signés, BONTEMPS, & DELANGLARD, avec paraphes.

AUTRE CHARTRE D'HUGUES III. Comte de Montfort.

vers 1198.

UNiversis sanctæ Matris Ecclesiæ filiis, & fidelibus. Hugo de Monteforti salutem. Sciatis me donasse, & præsenti Cartâ confirmasse Deo, & sanctæ Mariæ Becci, sanctoque Ymerio, & Monachis apud Sanctum Ymerium Deo servientibus, & servituris, Ecclesiam sancti Ymerii, cum Capellâ, & Patronatu, & Præbendis, & Decimis, omnibusque aliis ejusdem Ecclesiæ pertinentiis in usus proprios in perpetuum habendam, liberè, quietè, integrè, & pacificè. Prætereà Decimas omnium reddituum terræ meæ, ac de cunctis sylvis meis quæ sunt in Normanniâ. Hoc est de Feris, de Volatilibus, de venditione Nemorum, de Essartis, de Melle, de Pasnagio, atque de cunctis consuetudinibus Sylvarum, & de omnibus Foris meis, & molendinis, & de piscariis, & vivariis, & de cunctis pecuniis, & de caseis, quas Hugo Primus de Monteforti donavit prædictæ Ecclesiæ sancti Ymerii pro salute animæ suæ, & ex dono Hugonis filii Gisleberti de Gant avi mei quandam partem sylvæ meæ sancti Ymerii quæ Nemus Heroldi, & Vallis Corvi appellatur usque ad majorem viam vallis per quam à domo Ricardi Hake ad sanctum Ymerium descenditur. Decimam etiam de omnibus salinis meis, & de foro Vallis Ancore. Similiter ex dono Roberti Patris mei integrè totam teram de montibus quæ est supra domum Hugonis Peisun; exceptâ terrâ quæ jam tradita fuit Britonibus; totamque aquam Iveiæ usque in Tolcam. Capellam etiam sancti Nicholai quæ constructa est in Castello de Monteforti cum universis ejusdem Capellæ pertinentiis ex propriâ largitione meâ dono; & confirmo prædictis Monachis sancti Ymerii Theloneum hominum suorum in perpetuum recipiendum, & habendum ita liberè, & quietè sicut ulla Eleemosina liberè donari potest. Universasque alias donationes, & Eleemosinas quas supradicti antecessores mei, vel eorum homines prædictæ Ecclesiæ dederunt, vel quas dono, vel emptione in Feodo meo adepti sunt. Quatenus eas liberè, & quietè cum omnibus libertatibus, & liberis consuetudinibus hujus Cartæ meæ patrocinio protecti in perpetuum possideant. Hi sunt Testes. Willelmus filius Radulfi Senescallus Normanniæ, Ricardus Silvanus, Ricardus de Argentis, Ricardus Rossel, Robertus Trichan, Radulphus de Bail-

lol, Reginaldus de Pontif, Valeranus de Pontif, Hugo de Govil; Amaricus Clericus, Willelmus de Buſſeio.

Collationné par les Conſeillers du Roi, Notaires à Paris, ſouſſignés ſur l'Original. eprefenté par Meſſire Henri-Emmanuel François-Raymond de Roquette, Prieur-Commendataire de ſaint Himer en Auge, à ce preſent, lequel eſt ſcellé d'un ſceau en lacs de ſoie, & à lui à l'inſtant rendu. A Paris ès Etudes le huit Avril mil ſept cent ſoixante-un, & a ſigné,

H. E. F. R. DE ROQUETTE, Prieur-Commendataire de ſaint Himer.

Signés, LE NOIR, & DELANGLARD, avec paraphes.

BULLE CONSISTORIALE DU PAPE LUCE III. adreſſée au Prieur de ſaint Himer, en l'année 1182.

LUCIUS Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis Filiis Priori Eccleſiæ ſancti Ymerii, ejuſdem fratribus, tam præſentibus, quam futuris regularem vitam profeſſis Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Religioſam vitam eligentibus Apoſtolicum convenit eſſe præſidium, ne forte cujuslibet temeritatis incurſus, aut eos â propoſito revocet, aut robur, quod abſit, ſacræ Religionis aliquatenus infringat. Eà propter dilecti in Domino filii, veſtris juſtis poſtulationibus clementer annuimus, & præfatam Eccleſiam in qua divino eſtis obſequio mancipati ſub beati Petri, & noſtra protectione ſuſcipimus. In primis ſiquidem ſtatuentes, ut ordo Monaſticus qui ſecundum Deum, & beati Benedicti regulam in Eccleſiâ veſtrâ inſtitus eſſe dignoſcitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter obſervetur. Præterea quaſcunque poſſeſſiones, quæcunque bona eadem Eccleſia in præſentiarum, juſtè, & canonicè poſſidet, aut in futurum conceſſione Pontificum, largitione Regum, vel Principum, oblatione fidelium, ſeu aliis juſtis modis, præſtante Domino poterit adipiſci, firma vobis veſtriſque ſucceſſoribus, & illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis: Locum ipſum in quo Monaſterium veſtrum ſitum eſt ex dono Hugonis de Monteforti, cum omnibus pertinentiis ſuis, ſcilicet, cum Capellâ ſanctæ Mariæ in villa ſancti Ymerii, & cum Capellâ ſancti Michaelis apud Pontem Epiſcopi, & cum decimationibus Molendinorum de Cornevilla, & aliorum nemorum, & foreſtarum, & piſcariarum, & vivariorum, & caſeorum, & virgultorum, & omnium quæ decimari debent de honore de Monteforti in Northmannia, & Anglia. Et in Angliâ, Eccleſias de Bradeburna, & de Tiltentona, & de Esbruggè. Cum omnibus pertinentiis ſuis, & nominatim Decimis piſcium de Heea & unam domum apud Heeam ſicut donatorum Chartæ teſtantur. Ex dono Hugonis Filii Gilleberti de Gant partem illam ſylvæ quæ vocatur Nemus Heroldi, & Vallis Corvi, & virgultum quod fuit Ricardo Poree in Perrefitâ, & decimas de ſalinis, & nundinis de Ponte Epiſcopi, & de Valle Ancræ ſicut ejus carta teſtatur: Ex dono illuſtris Henrici Anglorum Regis Capellam de Bello loco, cum decimis, & omnibus pertinentiis ſuis. Ex dono Willermi de Perrefitta, aſſenſu uxoris ſuæ, & filiorum

ſuorum

suorum, & Hugonis de Monteforti Domini sui Decimam de Mortua aqua, & de omnibus molendinis suis, sicut in ejus cartâ continetur. Ex dono Roberti Mauviel, assensu uxoris, & filiorum suorum virgultum, & terram & boscum quæ tenebat de eo Hebertus Clericus & boscum de Quarreria, & hortum unum juxta fontem sancti Ymerii, & in Ferra villa unum hortum & unam acram terræ. Ex dono Hugonis præpositi de Torta quercu tres acras terræ in eadem villa; Ex dono Willermi Furtel apud Magnam villam unum vavassorem reddentem decem solidos cum pertinentiis suis. Ex dono Roberti de Monteforti pasturam & terram de monte supra Domum Hugonis Peissun, & aquam & piscariam de Iveâ, & Gardinum quod fuit Willelmi Presbiteri, & decimam novi molendini, & molendini Fulleretii. Ex dono Heliæ de Baillolio terram apud Tortam quercum in essartis Forestæ & unam salinam ad Tolcam concessu Domini sui Roberti de Monteforti. Ex dono Walteri Pipard Terram de Guvifosse quam Hugo de Monteforti ei dederat pro servitio ejus, Ex dono Oliverii de Albineo unum Vavassorem reddentem quinque solidos cum Reguardis, & omnibus pertinentiis suis. Ex dono Albredæ de Tilio, & Roberti filii ejus tertiam partem Decimæ Molendini de Perrefitta cum omnibus pertinentiis suis. Ex dono Willermi de Bettevilla Decimam Molendini sui in eâdem villâ & terram quam eis dedit apud sanctum Ymerium juxta Forestam, sicut in authenticis scriptis singulorum donatorum continetur. Sanè novalium vestrorum, quos propriis manibus, vel sumptibus colitis, sive de nutrimentis animalium vestrorum, ullus a vobis decimas exigere, vel extorquere præsumat. Liceat quoque vobis clericos, vel laicos a sæculo fugientes, liberos, & absolutos ad conversionem recipere, & eos absque contradictione aliquâ retinere. Prohibemus insuper ut nulli fratrum vestrorum post factam in eodem loco professionem fas sit absque Prioris sui licentia de eodem loco nisi arctioris Religionis obtentu discedere; discedentem vero sine communi litterarum cautione ullus audeat retinere: In Parochialibus autem Ecclesiis quas habetis, liceat vobis Clericos, vel sacerdotes eligere, & Diœcæsano Episcopo præsentare, quibus, si idonei fuerint, Episcopus curam animarum committat, ut ei de spiritualibus, vobis autem de temporalibus debeant respondere. Cum autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis janujs clausis, exclusis ex communicatis, & interdictis, non pulsatis campanis, supressâ voce divina officia celebrare; Antiquas quoque, & rationabiles consuetudines in Ecclesiâ vestrâ hactenus observatas ratas habemus easque futuris temporibus illibatas permanere sancimus. Præterea statuimus ut nec Archiepiscopo, Episcopo, Decano, Archidiacono vel eorum officialibus in vos, vel in Ecclesias vestras seu clericos familiæ vestræ sine manifestâ & rationabili causâ interdicti, vel excommunicationis aut suspensionis sententiam liceat pervulgare. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotioni, & extremæ vo-

luntati qui se illic sepeliri desideraverint, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat, salvâ tamen justitiâ illarum Ecclesiarum à quibus mortuorum corpora assumuntur. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatam Ecclesiam tenere, perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, aut quibus libet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum pro quorum gubernatione, ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura; salvâ sedis Apostolicæ auctoritate, & Diœcesani Episcopi canonicâ justitiâ. Si qua ergo in futurum Ecclesiastica, sæcularis ve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit secundo tertiove commonita, nec reatum suum congruâ satisfactione correxerit, potestatis, honorisque sui careat dignitate, reamque se divino judicio existere de perpetratâ iniquitate cognoscat, & a sacratissimo corpore, ac sanguine Dei, & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini Jesu Cristi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

✠ Ego Lucius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.
✠ Ego Theodinus Portuensis & S. Rufinæ sedis Episcopus.
✠ Ego Henricus Albanensis Episcopus.
✠ Ego Paulus Prænestinus Episcopus.
✠ Ego Petrus Presbiter Cardinalis titulo sanctæ Susannæ.
✠ Ego Vibianus titulo sancti Stephani in Cœlio monte Presbiter Cardinalis.
✠ Ego Laborans Presbiter Cardinalis sanctæ Mariæ trans Tiberim titulo Calixti.
✠ Ego Pandulphus Cardinalis tit. XII. Apostolorum.
✠ Ego . . . . Diaconus, Cardinalis sancti Theodori.
✠ Ego Gra. . . . . Diaconus, Cardinalis titulo sancti Angeli.
✠ Ego . . . . oriant Diaconus, Cardinalis.
✠ Ego Sofredus titulo sanctæ Mariæ in viâ latâ Diaconus, Cardin.
✠ Ego Albinus titulo sanctæ Mariæ novæ, Diaconus Cardinalis.

Datum Romæ per manum Hugonis sanctæ Romanæ Ecclesiæ notarii XIV. Kalendas Julii indictione. IX. Incarnationis Dominicæ anno M. C. LXXXII. Pontificatûs vero Domini Lucii tertii anno secundo.

Cette Bulle est tirée de l'ancien Cartulaire du Bec, folio 26. Titulo Romanorum Pontificum.

CHARTRE DE RAOULPH, Evêque de Lisieux, *en l'année 1189.*

RAdulphus Dei gratiâ Lexoviensium Episcopus; Universis sanctæ Matris Ecclesiæ Filiis ad quos præsens scriptum pervenerit salutem, & Dei benedictionem. Noverit Universitas vestra, nos prædecessoris nostri Arnulphi vestigiis inhærentes, donum quod ipse Beccensi Monasterio de Ecclesiâ sancti Ymerii fecisse dignoscitur pro parte, pietatis intuitu suppliciter desiderantes, Dilectis filiis nostris Rogerio Abbati, Monachis Beccensibus apud Beccum sub Monasticâ professione degentibus, donasse Ecclesiam sancti Ymerii, cum Patronatu, & omnibus aliis pertinentiis ipsius in usus Monachorum Beccensium in eâdem Ecclesiâ Deo servientium, integrè, & quietè, & pacificè, in perpetuum convertendam: Ita quod prædicti Monachi pro voluntate suâ Præsbyterum qui curam plebis habiturus sit, mihi, & successoribus meis præsentent, qui curam animarum à nobis recipiat, à Monachis vero portionem, quam ei pro suâ sustentatione assignaverunt idoneam, tum quatenùs indè possit sufficienter sustentari, & nobis, & successoribus nostris de Episcopalibus respondere: Quam etiam portionem præsenti scripto mandavimus annotari. Habebit igitur ex nostrâ autoritate prædictæ Ecclesiæ sancti Ymerii Præsbyter à Monachis per singulos dies victum unius Monachi, in cibo, scilicet, & potu. Prætereà vero omnes visitationes, & omnia Legata sua, & Baptisteria, medietatem quoque de omnibus quæ super Altare, vel ad manum Sacerdotis offeruntur. Et quoniam Lexoviensem Ecclesiam ab omni detrimento nos convenitobservare, Præbendam nostram quæ infrà eandem Parochiam esse dignoscitur, nobis integram, illibatamque cum omni jurê suo in perpetuum manere censemus. Acta sunt hæc apud Beccum, anno Incarnationis Dominicæ M. C. LXXXIX. In die videlicet sepulturæ Roberti Juvenis de Monteforti, fratris Hugonis de Monteforti; ubi idem Hugo de Monteforti, ad preces Matris suæ Clemenciæ Ecclesiam sæpè nominatam sancti Ymerii quam Robertus Pater suus iniquo circumventus consilio Monachis Beccensibus jam dudum abstulerat, pro animâ Patris sui Roberti, & Fratris sui Roberti Juvenis, & suâ, in manu nostrâ resignavit, & ut Beccensi Monasterio illam conferremus affectuosis nos precibus studuit inclinare. Ne igitur quod tam piè actum est ullâ possit in posterum oblivione, vel malignitate convelli, litteris mandari, & sigilli nostri impressione facimus communiri, in perpetuum valiturum. Testibus Gilleberto Crispino, Andrea de Vitreio, Gaufrido de Asneriis, Willelmo de Bethevillâ, Willelmo de Baillolo, Roberto Mauhan, Waltero Folet, Ricardo de Bethevillâ, Radulpho Senescallo, Hugone de Parco, Waltero Grobout, Hugone Parvo.

Cette Chartre est tirée de l'ancien Cartulaire du Bec, folio 113. Titulo Episcoporum Lexoviensium.

CHARTRE DE GUILLAUME, Evêque de Lizieux.

année 1198.

WILLELMUS Dei gratiâ Lexovienſis Epiſcopus, Univerſis ſanctæ Matris Eccleſiæ filiis ad quos præſens ſcriptum pervenerit, ſalutem, & Dei benedictionem. Noverit univerſitas veſtra nos, prædeceſſorum noſtrorum Arnulphi, & Radulphi veſtigiis inhærentes, donum quod ipſi Beccenſi Monaſterio de Eccleſiâ ſancti Ymerii, feciſſe noſcuntur concedimus, ratum habemus, ad notitiam poſterorum autoritate Sigilli noſtri confirmantes. Quorum alter Monachos Beccenſes apud ſanctum Ymerium primus inſtituit, alter Eccleſiam præfatam, & Capellam juxtà poſitam in proprios uſus Monachorum ibidem commorantium, ſimulque Pauperum & Hoſpitum miſericorditer, & providè confirmavit. Nos igitur fervore ſanctæ Caritatis non minùs igniti, & Eccleſiam Beccenſem haud ſegniùs diligentes, volumus, & permittimus quatenùs poſt deceſſum Hugonis Sacerdotis præſentis, Prior qui tunc fuerit apud ſanctum Ymerium pro voluntate ſuâ, & Monachorum ſuorum, Præsbyterum qui curam plebis habiturus ſit, mihi, vel ſucceſſoribu meis præſentet, ut curam animarum à nobis recipiat, à Priore verò, & Monachis portionem quam ei pro ſuſtentatione ſuâ aſſignaverunt idoneam; tum quatenùs indé ſufficienter valeat ſuſtentari, & nobis, & ſucceſſoribus noſtris de Epiſcopalibus reſpondere; & quoniam Lexovienſem Eccleſiam ab omni detrimento nos convenit obſervare, Præbendam noſtram quæ infrà eandem Parochiam eſſe dinoſcitur, nobis integram, illibatamque cum omni jure ſuo in perpetuum manere cenſemus. Actum hoc apud Lexovium anno milleſimo centeſimo nonageſimo octavo. Teſtibus Hugone de Haugemenil tunc Abbate Beccenſi; Teſte Johanne Decano Lexovienſi, Roberto de Rothorti Cantore, Nicolao Euſtachio, Canonicis Lexovienſibus, Bartholomæo Præpoſito Lexovienſi, Gaufredo de Aſneriis.

Cet Acte eſt dans le grand Chartrier de l'Abbaye du Bec, Laiettes du Prieuré de ſaint Himer, premiere Liaſſe, n. III.

CHARTRE DE JOURDAIN, Evêque de Lizieux.

vers 1200.

UNiverſis ſanctæ Matris Eccleſiæ Filiis ad quos præſens ſcriptum pervenerit. Jordanus Dei gratiâ Lexovienſis Epiſcopus ſalutem in authore ſalutis. Noverit Univerſitas veſtra, quod ea quæ à prædeceſſoribus noſtris piè, & laudabiliter novimus eſſe facta modis omnibus obſervare volumus, & debemus. Cum igitur à bonæ memoriæ Arnulpho prædeceſſore noſtro Eccleſia ſancti Ymerii Beccenſi Monaſterio conceſſa fuerit, ſicut in ipſius ſcripto authentico continetur, & piæ

piæ recordationis Radulphus , & Willelmus Lexovienſium Epiſcopus donum illud ratum habuerint, & conceſſerint ut omnes fructus dictæ Eccleſiæ ſancti Ymerii poſt deceſſum Hugonis ſacerdotis in uſus Prioris, & Monachorum ibidem Deo ſervientium convertantur , nos ipſorum veſtigiis inhærentes, illud idem concedimus, cedente prædicto Hugone, hoc ſanè defuncto , quod Prior qui pro tempore fuerit apud ſanctum Ymerium, pro voluntate ſuâ, & Monachorum ſuorum Præsbyterum qui curam plebis habiturus ſit, nobis, vel ſucceſſoribus noſtris præſentet, & curam animarum à nobis, vel ſucceſſoribus noſtris, Epiſcopis Lexovienſibus recipiat, & ad ſuſtentationem ſuam, tam in blado à Præsbytero quondam poſſeſſo , quam in omnibus obventionibus Altaris, & Cimiterii tertiam recipiet portionem , nobiſque , & ſucceſſoribus noſtris de omnibus Epiſcopalibus reſpondebit. Et quoniam Lexovienſem Eccleſiam ab omni detrimento nos convenit obſervare, Præbendam noſtram quæ infra eandem Parochiam eſſe dinoſcitur, nobis integram, illabatamque, cum omni jure ſuo in perpetuum manere cenſemus. Ne igitur Abbas , vel Monachi Beccenſes ſuper hoc poſſint in poſterum per aliquorum malitiam moleſtari , ſæpè dictam Eccleſiam ſancti Ymerii, cum omnibus pertinentiis ſuis , ipſis, & Priori, & Monachis ibidem commorantibus , ſicut ſcriptum eſt, integrè, & perpetuò confirmamus.

Cet Acte eſt tiré de l'Ancien Cartulaire du Bec, folio 113. Titulo : Epiſcoporum Lexovienſium.

ORDONNANCE DE FOULQUES, Evêque de Lizieux,

Servant de réglement entre les Religieux, & les Habitans de ſaint Himer, au ſujet du Clocher, & de la ſéparation de l'Egliſe de ſaint Himer en deux parts, en 1253.

